

## Werk

**Titel:** Programma Quo Magnificum Dn. Rectorem omnium Facultatum Professores excellentissi

**Autor:** Styman, Franciscus

**Verlag:** Jeger

**Ort:** Gryphiswaldiae

**Jahr:** 1643

**Kollektion:** VD17-nova

**Gattung:** Gelegenheitsschrift:Promotion; Gelegenheitsschrift:Einladung

**Digitalisiert:** Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen

**Werk Id:** PPN734597568

**PURL:** <http://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?PPN734597568>

**OPAC:** <http://opac.sub.uni-goettingen.de/DB=1/PPN?PPN=734597568>

## Terms and Conditions

The Goettingen State and University Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Goettingen State- and University Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept the Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Goettingen State- and University Library.

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

## Contact

Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen  
Georg-August-Universität Göttingen  
Platz der Göttinger Sieben 1  
37073 Göttingen  
Germany  
Email: [gdz@sub.uni-goettingen.de](mailto:gdz@sub.uni-goettingen.de)

156

PROGRAMMA  
*Quo*  
Magnificum  
Dn. RECTOREM  
omnium Facultatum Pro-  
fessores excellentissimos, Dn. Colle-  
legas & Fautores plurimum venerandos; Amplissi-  
mum Senatum urbanum, Cæteros Viros Nobilisfi-  
mos, Admodum Reverendos, Consultissimos, Ex-  
perientissimos, Clarissimos, Studiosam & po-  
litissimam, doctissimamq; Ju-  
ventutem

*Nomine Facultatis Juridicæ*

**FRANCISCUS STYPMAN**  
*J. U. D. & Professor Ordinarius*  
*p. t. Pro-Decanus*

ad disputationem inauguralem

**De Exequiarum Jure**

Quam  
Præstantissimus & Literatissimus  
**Dn. JOHANNES VESTRINGK**

Revaliâ Livonus.

Pro summis in utroque Jure privilegiis & insignibus  
Doctoralibus obtinendis 13. Cal. August. in Hyperoo  
Curiæ urbanæ instituet  
Reverenter, benignè, & officiosè invitat.

**G R Y P H I S W A L D I A Typis JACOBI J E G E R I excusum.**

PRO-DECANUS  
FACULTATIS JURIDICÆ  
**FRANCISCUS STYPMAN**  
J. U. D. & Prof. Ordinar.



NTIQUITATIS NIL PENITÙS, IN-  
QUIT JUSTINIANUS IMPERATOR, DEBEMUS I-  
GNORARE, SED IN EJUS MONUMENTA &  
RECESSUS SUMMÀ DILIGENTIÀ INQUIRERE. FIT  
HOC MODO, UT AMBULANDO PER VETERUM  
SCRIPTA SÆPIÙS IBÌ SIMUS, UBI NON SUMUS,  
PRÆSENTIÀ SPECTEMUS, QUÆ AB ALIQUOT SE-  
CULIS INTERMORTUA SUNT. HÆC ESTILLA CŒ-  
LESTIS PEREGRINATIO, QUÆ ANIMOS EX FORDIBUS,  
& CÆNO PRÆSENTIUM AD SUBLIMIA, &  
VETERIS ÆVI MIRACULA ERIGIT, & NOS OMNÌUM RERUM, LOCORUM, TEMPORUM  
IN IPSA ADOLESCENTIÀ FACIT VETERANOS. CONTINGIT UT PERNICITATE INTELLE-  
CTUS EX HUJUS MUNDI PARTE IN ALIAM TRANSVOLEMUS, SEMPER STABILES &  
IMMOTI IN SOLO CUI AFFIXI SUMUS. ALIBI SINUS MARIS, QUOS TERRÆ ABSTU-  
LIT, HIC MOLES IN MARI CONGESTAS STUPENDA NATURÆ CONSPICIMUS & AD-  
MIRAMUR. DOLEMUS SÆPIÙS, QUOMODÒ HIC BELLUM SOLITUDINEM, ALIBI  
INCENDIUM VEL STERILITATEM INVEXIT, VALDÈ SOLliciti, QUÀ RATIONE HUIC  
MALO MEDERI, & AUXILIARES SUPPONERE POSSIMUS MANUS. ITA GENTIBUS  
DOMINAMUR, QUAS NUNQUAM VIDIMUS: ITÀ TEMPORA IN COMPENDIO HA-  
BEMUS, QUÆ JAM DUDÙM EFLUXERE. ITÀ SERVITUTEM SÆPÈ SERVIMUS MI-  
SERATI ALIORUM CALAMITATES, & COMITAMUR EAS NOSTRIS PLANETIBUS, QUAS  
DUDÙM SEPELIVIT OBLIVIO. SCIMUS TROJAM CONFLAGRASSÈ, CARTHAGINEM  
SUBRUTAM, ARCHIMEDES MANES SYRACUSIS IN CIRCULO & PULVERE SANGUINE  
SIGNATOS. ET TAMEN SI AD VERGILIUM DEFLECTIMUS, OPPIDO QUAM ILLI-  
UM SUIS TURRIBUS & PINNIS SUPERBIT. STAT NOBIS ADHUC TROJA, DOMINA-  
TUR IN ÈA PRIAMUS: JUXTÀ EAM GRÆCI DESUDANT, ADULTERIUM CONFOCIATO  
AGMINE VINDICANTES, & QUÀ DATUR À LABORE SECEDENDI AD LUDICRA POTE-  
STAS, VIDEMUS IN CASTRIS LATRUNCULORUM IUSUM À PRIAMEDE EXCOGITARI,  
QUÆQ; AD TROJAM SUNT AGENDA INTER MANIPULOS JUCUNDIS PRIMÒ DISPE-  
NСARE IUSIBUS. SI AD LIVIUM FLORUMQ; VENIMUS, FLORET ADHUC ÆMULA

Romæ,

Romæ, & ambiguis certaminibus Romanam fatigat industriam. Non uno, sed tribus bellis res conficitur. Stat, metuit, terret, vincit, pugnat, decipit, demùm deploratis rebus ignium morā, qui per septendecim dies incendium fecerunt, sui majestatem depositū imperii. Ab hinc ad obsidium Syracusarum nos vertimus. Omnis insumitur eorum potiundi labor, sed in cassum. Sedet post latebras Archimedes, specularibus suis, arcanaq; dirigendi visus ratione solā scientiā cum exustā classe tentoria castrorum fumo imbuit. Dùm hæc libamus, nec extinguere ardorem ingenii, nec omnino pigritiam exuere valemus, immensa anhelantes, minimorum capaces ad conspectum vel imaginationem rerum pulcherrimarum, quasi extrā nos constituti, breviā divertio ad stationem mentis redeentes, scientiæ; cui debemus omnia, quædam obvenienti oblivioni, omnium sapientum destinamus exemplo. Saltem qui infinita talia habemus, in origine urbis & imperii sensus & ingenii vires delassare possumus. Prima incunabula ejus quām exigua? expositi partus lupa miseratur, & vagitus ab hominibus neglectos lacte suo demulcet. Jucundum est secūm putare, quomodo sævum animal ad mansuetudinem degeneret, & tenella infantum ora rigidis implicit uberibus. Exhorrescimus ulteriū, quomodo exsuctam immanitatem fratris cæde alter dispensem, quomodo imperii initia cruento madeant. Numæ deindè miramur sapientiam, detestamur proditionem Suffetii, ingemiscimus stuprata<sup>malo</sup> Lucretiæ, & justè ablatum Tarquinio arbitramur imperium. Indè Consulum vel in paludamento virtutem, vel in togā studium, vel in judicando prudentiam stupemus. Hinc Dictatorum majestatem, Prætorum aliorumq; Magistratum honores, vel Decemvirorum in condendis 12. tabb. legibus veneramur diligentiam. Videmus corā Appium libidine incensum, suppositaq; contrā Virginii filiam personā dare judices juxta servitutem vindicias; Contrā ex Algido reducem patrem, & cùm suprà vitam pudicitiam æstimasset, nec quā filiam ex libidinosi senis liberaret manu, nec pudori subveniret, pateret via, arrepto de mensā lanionis cultro malle enecta, quām violata viscera. Jam, si seditiones, bella, motus, conjurations, consideramus, quam nulla Resp. unquam fuit exemplis ditior, aut moribus sanctior, & in quā innocentiores fuerunt artes, quibus domi militiæq; imperium partum, servatum, & auctum est. Cum æquā Cives inter se potestate erant, nec jus habe-

bat pars Reip. imperandi alteri, si violari contingeret imperii decus, non bella sibi potestate defecti, non coniurationem movebant, omnes æquales, sed motibus prævenientes in montes Sacrum, Aventinum & Janiculum secedebant, & ferocia domita, vel morâ sedato impetu, vel eloquentiâ Menenii, aut obtentu æqui ad invicem, iris remissis communem suscipiebant Reip. curam. Rursus si bellum cum exteris ingruit, quot & quam infinita exempla virtutis & disciplinæ se exhibent. Æquos, Vejentes, Samnites, Volscos in Italiâ debellatos legimus. Extrâ eam Pænos, Macedones, Siculos, Asiaticos, Afros, sub jugum missos. Contemplamur Jugurtham, Perseū in catenis stâtes. Eumenem, Antiochū, Philippū Consulis Romani pedes honorantes. Hæc sunt dominâtis Reip. tempora, quibus albis vecti equis Dictatores, Cōsules, aliiq; belli Imperatores de maribus, classib; terris, regibus, populis, &ne quid desit, orbe ipso triumfarūt. Vice versa cū fata urbis recordamur; æterna imperii ad Cannas & Trasymenū vulnera tangimus: Sagittinorū calamitatem, serviles in Rep. machinationes, Catilinæ coniurationes, Syllæ & Marii concertationes, quæq; alia reperiuntur laborantis mole suâ imperii dispendia, donec recurrente in se felicitatis orbe duo ambitionis & orbis Candidati Julius Cæsar & Sex. Pompejus scissâ urbe & amicitiâ inter se concurrerent, nihil odio, vel iræ remittentes priusquam fugato abscissoq; Magni Pompei capite, deh̄ Julio triginta sex vulneribus confecto, laceratâ in præmium Rep. cùm nec populus, quem sequeretur, Ducem haberet, nec amplius oneri par esset, cuncta discordiis civilibus fessa Octavius Augustus nomine Principis sub imperium acciperet. Quæ monstra & portenta terrarum Tiberius, Caligula, Nero, hunc excepere, & sub imperio eorum utramq; Sejani & Senecæ fortunam, aliorum exilia, cædes, vincula, proscriptiones, Historia memorat. Unicus imperii restaurator & ultimus bonæ mentis princeps Trajanus, soli Augusto bonitate & imperii metis par, sequentium laudem præripuit, & quam voto expetantur boni principes, fortunâ habeantur suo postremus edocuit exemplo. Indè pedetentim versa Resp. ad exteris, cumq; vicini defecerant, exteri illuderent, Germani, Gothi, Vandali, duce Totila Alpes transcederunt, ebriiq; viatoriis, cùm præter caput Orbis nihil restaret, caput suprà illud evexerunt, & illam terrarum gentiumq; Dominam suis subdiderunt pedibus. Hæc est illa urbs, cui par nihil & nihil secundum.

dum. Hæc obruta , diruta , incensa , inundata , periit non uno le-  
tho. Hæc ambitiosè hodiè quæritur, nec invenitur in suo solo. No-  
bis tamen, qui Antiquitatis studia recolimus, omnia sunt præsentia.  
Augustini votum Romam in flore videre cupientis explemus, cùm  
cathenatos ad currum triumphalem duci nobis imaginamur Reges.  
Cùm cadavera ejus consideramus, Gothorum & Vandalorum auda-  
ciam miramur, ubiq; in clarâ luce rerum humanarum ludibria & ti-  
mentes, & contemnentes. Ibi in amænitatibus Veterum desideria no-  
stra levamus. Ibi tristia spectacula miserationem nobis eliciunt. Ex  
illis omnis exempli documenta sumimus, indè nostræ Reip. quod imi-  
temur, capimus, indè fædum inceptu, fædum exitu, quod vitemus. Ut  
adeò ceritos esse oporteat, qui hæc negligi posse sibi persuadent. Ne-  
cessè est, ut peregrini & hospites in propriâ patriâ sint , qui majorum  
instituta & artes superciliose contemnunt. Illud Græcorum vitium  
fuit, quòd sua tantùm mirentur. Romanorum ea laus, quòd vetera  
extollant, recentium incuriosi. Plato in Timæo ubi sermones refert  
Ægyptii Sacerdotis inter eum, & Solonem habitos, dum antiquitatem  
omnem prosequitur, illum in hæc magnâ cum indignatione protum-  
pentem verba inducit : O Solon, Solon, vos Græci semper pueri, ju-  
venisq; semper vobis est animus , in quo nulla est vetustatis cognitio,  
nulla cana scientia. Ausim ego affirmare, si quis sine cognitione An-  
tiquitatis juris studium absoluturum se sperat, eum grandem ineptia-  
rum laborem suscepturnum, & præter difficiles nugas nihil acturum.  
Primos saltem omnium in vasto Juris corpore legum fontes Leges 12.  
tabul. finem omnis æqui juris accedamus, nonnè ex vetustate reliquias  
tanquam fractas ex naufragio tabulas nobis ostentant? Si sacrorum  
jura, si sacerdotum officia, & varium ordinem, si magistratum hono-  
res, diversasq; functiones scire avemus ex ruderibus illis magnitudi-  
nem operis, & ædificii conjecturare possumus. Felices sanè essemus,  
si nobis in intima penetralia promtior esset aditus , sed vetus invidia  
malum, & sui magna æstimatio Pontificum industriam habuit, ut qua-  
si sacrum depositum sub arcanæ fidei testimonio sibi solis reservarent.  
Quæcunque tamen novimus, ea ex reliquiis conteximus ad prisca re-  
spicientes tempora, quæ solatium errantibus sæpè pollicentur, sæpè  
offerunt. Hoc est jus publicum, quod in Sacris, Sacerdotibus, & Ma-  
gistratibus consistit, cujus quicquid supereft, id unicus ferè de origine  
Juris titulus in se complectitur. Hinc si ad privati Juris partes trans-  
gredi-

gredimur, quis testamentorum, tutelarum, patriæ potestatis jura sine antiquitatis memoriā percipiet? Quis Jura nuptiarum, mancipatiōnum, usucaptionum, differentias Italici & provincialis soli sine eā eruēt? Annon, quis sit suus heres, quis assiduus, proletarius, vindex, hostis, antestatus, obvagulatio, & innumera alia latebunt sine cognitio-ne hujus studii? Optimè ergo sibi, & Jurisprudentiæ consulunt, qui antequām vasto huic mari se committunt, juncis navigare incipiunt, & ut majus incrementum accipient à primâ fundamenta arcessunt origine. Cūm contrā qui neglectā hāc scientiā quām miserè periclitentur tardius, quām optassent, sentiunt. Hi demūlū cūm absolutum esse deberet, Juris studium retrò legere coguntur, quæ anteā sprevērāt, quod dūm faciunt, plus laboris in dediscendo, quām apprehendendo suscipiunt. Quanquam autem hāc itā sint, nihil tamen tam sublimis est cognitionis, quod non inscitia vel livor arrodat. Habet  
hoc Antiquitas infortunium, ut, quia pauci hactenus Jura cum ejus historiā tractarunt, citius reprehensorem, quām amatorem, inveniat. Si etiam casu contingat, ut non nemo ex eā laudem apud doctos sibi conciliat, quasi nihil aliud homines scire deberent, subridiculos sāpē nanciscitur æmulos. Certè calumniari facilius est, quām meliora afferre: & habet hāc disciplina hoc commune cum omnibus magnis scientiis, ut cuivis non pateat. Diffusa est, & omnium temporum, gentiumq; historiis immixta; quæ ratio, quod Patroni causarum, qui nil nisi Bartolos & Baldos sonare sciunt, vel illi legicrepæ, & locutuleji, quorum labris legalis sermo, sicut psittaco cantus semper innat, hāc ignorent, & quia præter formulas processus, vel verba legum nihil sciunt, vituperent. Advocatis, qui suæ defensionis viribus lapsa erigunt, fatigata reparant, suam non invidemus laudem: nec eorum necessitatē Reip. subtrahimus, an verò in tædioso illo pulvere cum contemtu altioris scientiæ versari possint, emunctioris nasi hominibus judicandū relinquimus. Experiuntur illi, quorum litibus & dannis saginantur, eos simplices leges per inumeros anxiosq; calliditatis articulos in præcipua scientiæ parte habere. Inhærent n. plerumq; vocibus, conceptasq; rudibus verbis leges nunc in cautionem, nunc in dolum contemplati, miseris ambagibus involvunt, clientesq; irretiendo demūlū cum causa facultatibus ejiciunt. Minori quidem danno vivunt, qui verba legum callent, & intempestivis sermocinatio-nibus

nibus eruditionem ostentant. Sed sensus legum maximè viam uberi-  
ori scientiæ præparat. Hic autem non solùm per ardua & molesta ju-  
ris factiq; argumenta, sed pulchra antiquarum rerum scientia mentes  
imbuit, quæ ad humanæ vitæ culturam pretiosa est, in foro saltèm ad  
ostentationem valet. Nequaquam verò hīc putemus functos suo of-  
ficio esse, qui unam vel alteram Historiam quasi per transennam in-  
spexerunt. Certa serie, & bono ordine illa res tractanda, alias avidos  
socios varietate rerum obruet. Accidit frequentèr, ut excussis pueri-  
tiæ frenis ad hanc disciplinam properent, qui nondùm magistrorum  
metu soluti, hi nihil aliud agunt, quam ut novā & inexpertam libertatē  
ad infames inscitiae allidant scopulos. Hi inter pocula præter vetustos  
terminos, & abjecta vocabula nihil loquuntur suum opinione satis ce-  
lebres, si aliorum admirationem, vel risum in se provocent. Omnia  
quæ agunt, etiam frontem ad priscorum Sabinorum consuetudinem  
crispant, cum illis somniant, quod libet. Crederet quis cum diva Æ-  
geriæ verba sociasse, vel ex priscis Hetruscorū sacris commodasse vo-  
cabula. Et tamen si vel levi quæstione his dubium movetur, quid lex  
Aquilia sit, & quod habeat capita, nesciunt pessimè. Venia quidem  
danda ignorantiae, cùm obsolata qvævis in memoriâ habere impossibi-  
litas, nullius etiam sit utilitatis. Quædam etiam ex illis ignorari  
satiùs sit, quam ingenium iis premere. Nec enim ita veterum quis-  
quilias indagare debemus, ut in non necessariis canescamus, & decisi-  
ones quæstionum quotidiè occurrentium ignoremus. Experimur  
tām anxiè quosdam in hoc studio laborare, quasi ad verborum & syl-  
labarum aucupia per sententiam damnati essent. Quidam ex Nævio,  
Plauto, Afranio, illa vetera verba, topper, querquera, rapinator,  
convenno, recentari, notis, iracunditer, &c. investigant; Alii endo  
glaphyrum simultè haruspicem impete carminant. Coeteri scrupu-  
losè disceptant, an à sedibus, vel pedibus Ulpianus possessionis nota-  
tionem derivarit. An Spadones à Spata dicti sint: Nùm L. Caninia  
à Canibus, Falcidia à Falce nomen acceperint: Carbonianum edi-  
ctum an de Carbonibus, Vellejanum SCtum an de vellere lonquan-  
tur. Rogat fatuus alibi cur jus dicentis officium Ulpianus dixerit esse  
latissimum, & non longissimum. respondet morio, quia homines lon-  
gi raro sapientes. Si qui supersunt novi classici, vel criticis sensu ple-  
rumq; communi destituti, hi virgulam in emendandis sibi sumunt au-  
thoribus.

choribus. Hinc illa verba, deico, interpunge, corigo, manuscripti sic habent,  
sic legunt veteres, crebriora, quam sardi venales. Hi litigant & contendunt  
A. Gellius, vel Ageſlius: Vergilius, vel Virgilius scribendum sit, cum utrum-  
que sine vitio fiat. Et certe iudicio summi Baudii in illis nūgis non est sita fa-  
lūs Græciæ, quibus tempus superest delicias suas his exercitiis transigant. Me-  
lius est in ipsius rei abdita penetrare, quæ conducunt operi annotando, reli-  
qua, quæ parūm vel nihil commodi habent, omittere. Illud secūm pensitavit  
Vir-Iuvenis Clariſ. & Literatiſ. Dn. IOHANNES VESTRINGK Reval.  
Livonus I.V. Candidatus meritissimus. Hic à primâ pueritiâ optimos au-  
thores Græcos & Latinos egregiè doctus Duceſ & Præceptorem ſui ſtudii,  
Virum Admodum Reverendum, Clarissimum & Humanissimum Dn. M.  
HENRICVM VESTRINGK, Eccleſiarum Revaliensium Superatten-  
dentem emeritum, Patrem ſuum dilectissimum, naetus eſt. Qui, ut optimus  
ingeniorum, utpote Rector Gymnaſii anteà, censor, non neſcius decus  
& gloriā ex ſtudiis parari, eam diligentiam filio impendit, ut ſibi non tam  
de Patre, quam Præceptore hodiè gratuletur. Crescentibus annis misit eum  
in Belgium, ubi inter colloquia, & auditioñes magni Cunæi p.m. Cl. Salmasi,  
Heinsii & Boxhornii, qđ in antiquitatibus ſcire & quæ deberet, didicit, con-  
temnere. Biennium in Belgii Academiis, Lugduno, Groningâ, Franequerâ, &  
Ultrajecto ſubſiſtens ſatur vetertim, & certus fundamentorum Juris Roſto-  
chium ſe Parentis juſſu contulit, & Juris ſtudio addixit animum. Ubi tres  
annoſ commoratus hoc noſtre amicitiae, quam in Belgio ſanctè coluimus, da-  
re voluit, ut præ reliquo Germania Academiis in eâ ſupremum ambiret Juris  
titulum. Edidit carmine, ſtylo, & diſputatione ea nobis cum eruditioñis ſpe-  
cimina, ut antè petitionem communi doctorum calculo ipſi gradus destina-  
retur. Nuper in Collegio noſtro Juridico rigorosè examinatus, nihil paſſus  
eſt in ſe defieri, quo minùs noſtrum ſuffragium acquireret. Id duabus eru-  
ditis de horis & diebus lectionibus teſtatum fecit. Et ne gratiæ vel favori  
aliquid dediſſe videamur, futuro die Jovis in Hyperō curiæ urbanæ de ar-  
duo & abſtruso E X E Q U I A R U M J U R E publicè collationem cuivis paratus  
respondere iſtituet. Ego Magnificum DN. RECTOREM, Viros Admo-  
dum Reverendos, Ampliſſimos, Consultiſſimos, Experientiſſimos, Clarifiſſi-  
mos, Prudentiſſimos & Humaniſſimos, Dn. Collegas & Hospites honorandos,  
Præſtantiſſimos & Literatiſſimos Studioſos, reverenter & amicè rogo, ut di-  
cto die in Baſilicâ S. Nicolai hor. 6. matut. frequentes velint convenire: Fa-  
cultatem Juridicam cum Dn. Candidato in Curiam deducere, diſputationi &  
reliquo ſolennibus interelle, pro re natâ cum ipſo conſerre, & finito actu ad  
ædes meas comitari, ibiq; quod ſuperest diei in hilaritate conſumere.  
Erit nobis beneficium ſemper recens, & aucupabimur occaſiones, quo-  
modò noſram gratitudinem universis & singulis viciffatim  
declarare poſſimus. P. P. ſub Sigill. Facult. Jurid.

Postrid. Idus Sextil. Anno

1643.



© SUB GÖTTINGEN / GDZ | 2012/2013



**QPCARD 201**

